

portant. & iste minores sepius iuuant trahere maiores cum funibus id est sartijs. quando remigijs ducuntur & etiam cum ducuntur uelis si uentus regnet aliquantulum ex trauerso quia minores precedunt maiorem & ligate cum funibus trahunt ipsam. set si uentus spiret ex directo non nam uela maioris nauis impedirent ne uentus feriret in uela minorum & sic maior supracederet minores. Item ducunt iste naues bottellos paruos bene decem propter ancoram & causa capiendi de piscibus & faciendi seruitia queque nauis. & omnes istos batellos nauis ducit iuxta se ligatos per aquam. Et quando nauis debet aptari & nauigauerit uno anno uel pluri & reparatione indigeat taliter ipsam aptant. affigunt(?) itaque circumcirqua nauim tabulam unam supra predictas duas priores. ita quod sunt tres & calcant ipsas & ungunt. & hec aptatio quam faciunt. ad aliam uero aptationem aliam afigunt tabulam. sic procedendo de reparatione ad reparationem usque ad numerum sex tabularum. & ab inde nauis contempnitur nec amplius cum ipsa nauigatur per mare dicemus itaque uobis qualiter quando nauis aliqua debet iter pergere. experitur utrum in illo itinere negotia sibi succedant prospera uel aduersa. homines uero nauis habebunt unam cratem id est unum graditium de uiminibus &. in quolibet angulo & latere ipsius cratis erit ligata una funis ita quod erunt| octo funes 55^r & omnes ligate erunt ab alio capite cum una sartia longa. item inuenient aliquem stultum uel ebrium & ipsum ligabunt super cratem. quia nullus sapiens nec sincerus ad periculum illud se exponeret. & hoc fit quando uentus regnat intensus ipsi quidem errigunt cratem in opositum uenti. & uentus cratem eleuat. & portat ipsam in altum & homines per sartiam longam tenent. & si cratis dum est in aere uersus cursum uenti declinet. ipsi aliquantulum sartia[m] ad se trahunt. & tunc cratis erigitur & ipsi sartie cedunt. & cratis ascendit. & si iterum declinet tanto sartiam trahunt donec cratis erigitur & ascendit & ipsi sartie cedunt. ita quod per hunc modum tantum ascenderet quod uideri non posset. dummodo foret sartia tam longa per hunc modum experientia ista fit. uidelicet quod si cratis directe ascendens tendat in altum. dicunt quod nauis pro qua illa experientia facta erit. iter faciet expeditum & prosperum & ad illam omnes mercatores concurrunt causa nauigandi & eundi cum ea. & si cratis ascendere non ualuerit in nauem pro qua expertum fuit nullus mercator uolet intrare quia dicunt quod iter suum perficere non posset. & sibi incumberent multa mala quare nauis illa in portu remanet illo ano nunc diximus de nauibus in quibus mercatores in indiam uadunt & redeunt nunc dicemus de yndia set tamen prius dicere uolumus de quibusdam insulis existentibus in mari oceano ubi sumus ad presens//—|

Insula.

adorat ydola

Cypingu est quedam insula in leuante. que distat a terra & est in alto mari 55^v .Md. miliaribus. & est ualde magna insula. cuius gentes sunt albe. & de pulcra manerie & pulcre adorant ydolla. & se manutinent per se ipsos